

pium exercitium ab " Hora Sancta " dictum rite peragunt ut sanctissimum JESU Cor injuriis hominum laceratum placent, nostrisque precibus benignum reddant, integrum est gratias omnes spirituales sibi comparare quæ illis, hoc piu exercitium peragentibus, conceduntur Rescripto Pii IX, die 13 maii 1875, et Brevi Leonis XIII, die 30 martii 1886. Sed alia pia opera Apostolatui adjicere nemini fas erit, integris tamen perstantibus facultatibus, quibus locorum Ordinarii, pro sua quisque Dioecesi, gaudent.

VI.—Christifideles in piam hanc Societatem adsciti qui, præ ceteris pietati dediti, singulari flagrant animarum studio, adeoque Zelatores et Zelatrices dicuntur, omni ope contendant ut magis in dies divina gloria, animarum salus et cultus Sanctissimi Cordis JESU secundum Apostolatus Statuta, provehatur. Idcirco statis temporibus simul convenient, ut de iis omnibus statuatur, quæ ad hunc finem procurandum magis conferre videantur.

VII.—Sedes princeps seu Centrum Societatis constitutum est Tolosæ. Moderator vero Generalis est ipse Praepositus Generalis pro tempore Societatis JESU, qui munus suum delegare potest alii a se diligendo, qui Tolosæ residenceat.

VIII.—Præter Moderatorem Generalem, erunt quoque Moderatores Dioecesani et Directores singularum Societatum. Moderatores Dioecesani, qui designandi sunt ab Ordinariis locorum, intra fines Dioecesos, constituentur vel a Præposito Generali pro tempore Societatis JESU vel a Moderatore Generali, quem ipse Præpositus delegaverit Tolosæ. Directores autem singularum Societatum constituentur, approbante Ordinario, a Moderatore Dioecesano. Tum Moderatores Dioecesani, tum Directores singularum Societatum Ordinario subjicientur etiam in iis omnibus quæ ad predicta era pertinent : iis exceptis quæ spectant ad Statuta ab Apostolica Sede approbata.

IX.—Ad socios adlegendos satis est, Directores singularum Societatum inscribere eorum nomina in libro indice ecclesiastico vel locorum piorum, ubi Apostolatus institutus